

1804
A
1336



DISPUTATIO IVRIDICA,
DE RERVM
DIVISIONE ET EA-
RVM ACQVIRENDO DOMINIO,
 tam de Iure gentium, quam de Iure ciuili per sin-
 gularitatem, cui inserta est materia Im-
 pensarum, & Fructuum.

QVAM

Diuinâ fauente Gratiâ.

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

D. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
 D. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
 respectiuè Dictatore & Fisco.

In Florentissimo Celeberrima Agrippinensis Academia, Iuri-
dica Facultatis Collegio publicè proponit

IOACHIMVS FRIDERICVS à Blumenthal/Nob. March.
 Anno repar. Salutis 1629. die 22. Martij.

I.



COLONIE AGRIPPINÆ.

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

CONCLUSIO PRIMA.



Vscepturum disputationem de dominio permiscere causas possessionis & usufructus non oportet, quemadmodum nec possessio & proprietas misceri debent, l. 52. ff. de acquir. vel amit. poss.

2. Etsi enim hæc dominium plenum constituunt, separata tamen sunt, & nihil inter se habent commune. l. 12. ff. d. tit. de acquir. vel amit. poss.

3. Vnde id dominium plenum esse necesse est, quod his partibus constat, arg. l. 1. ff. de orig. iur. scilicet proprietate, & usufructu. l. 3. § 2. l. 4. ff. de usufructu. l. 58. ff. de V. Oblig. Dissent. Gæddens ad l. 25. de verbor. signif.

4. Quæ partes quo arctiores inter se sunt, eò magis dominium reddunt perpicuum: ille enim & r' i' x' est moderator ac arbiter rerum suarum, qui secundum utramque partem de dominio potest disponere l. 21. C. Mandat. etiam ad abusum vsque permissiue, l. 25. §. 11. ff. de hered. pet.

5. Harum tamen partium dignior est proprietas l. 5. C. de distract. pig. l. 25. ff. de verbor. signif. ad hanc enim consequendam collimat possessio VVesenbec. in paratit. n. 14 de vsuris & vsucap.

6. Siue igitur coniunctus cum proprietate usufructus, vel possessio, siue non, dominium dici potest ius de re corporali perfecte disponendi aut vindicandi, nisi lex vel conuentio obstat. Bart. num. 4. l. si quis vi. 17. §. differentia. ff. de acq. possess. quod quidem ius vno tantum modo acquiritur, non multis, vt possessio. l. 3. & 4. ff. de acq. possess.

7. Cui rei præter ius dominij etiam alia iura possunt inhærere. l. 12. C. de fund. patrim. l. 19. ff. de hered. petit. l. 17. ff. de pignorib. l. 6. ff. de seruitutib. præd. Urban. non quidem tribuentia dominium, cum duo eiusdem rei in solidum non possunt esse domini. d. l. 3. §. 5. restringentia tamen domini dispositionem de eadem re. tot tit. Inst. quib. alien. lic. vel non.

8. Quæ iura cum sint dominio affinia, eademq; ferè vtilitate suos possessores beent, plurimis Doctorum placuit distinguere inter directum & vtile dominium. VVesenb. in parat. in tit. ff. de acquir. rer. dom. nu. 3. Myns. n. 16. de rer. diuis. Inst.

9. Quam distinctionem multi non necessariam arbitrantur: vt Vult. lib. 5. discip. 17. Bero in comment. ad Inst. de Vsufr. Borch. de feud. 1. num. 20. 13. sequent. asserentes quod horum iurium distinctione obseruata, cuiq; suum tribuatur, confusis autem ijs obscuræ disputationes necessariò sequantur.

10. Recipientes tamen illam distinctionem minus absurdi videntur quia interdum illorum iurium possessores dominij vocantur & ius illud dominium l. 23. C. de iur. dot. princ. Inst. quib. alien. lic. vel non. d. l. 12. C. de fund. præd.

11. Cum recipientibus itaque hanc distinctionem dominium directum possumus hoc nominare quod in feodalibus & emphyteuticis rebus habet superior dominus sine fructu, cum spe tamen consolidationis vel caducitatis.

ris. 2. F. 73. *Schneid. sup. §. 11. inst. hac tit. & Myrsing. in rubric. n. 15.* Utile quod
vassallus in rebus feudalibus & emphyteuticis habet. *Dd. dictis locis.*

12. Apparet ex definitione in *thof. §.* posita, quod sit ius in re, id est, legiti-
ma facultas; sed quia nomē rei nimis generale. *l. 1. in fin. ff. de reb. cred. l. de rei
appellatione 23. ff. de verb. signif.* additur ad differentiam de re corporali, quod
melius intelligamus rerum incorporalium propriē non esse dominium.
*l. rectē dicimus. ff. de ver. signif. l. 4. §. 27. vers. quia. nec l. 2. §. 1. ff. de vsurp. & v-
sucap. improprie tamen comprehenduntur etiam res incorporales, vt serui-
tutes. l. 3. ff. si vsusfr. petatur.*

13. Summa autem rerum diuisio in duos articulos deducitur: nam aliæ
sunt diuini iuris, veluti res sacræ & religiosæ: aliæ humani, quæ plerumq;
in bonis hominis sunt. *l. 1. ff. de rer. diuis.* eandē diuisionem Imperator tradit
nimirū, quod quædam res extra patrimonium nostrum, vt dictæ res sacræ:
quædam verò infint. *§. 1. Inst. de rer. diuis.*

14. Res autem humani iuris quædam sunt Communes, quædam publi-
cæ, quædam vniuersitatis, pleræque singulorum. *l. 2. ff. b. s. princ. Inst. de rer.
diuis. Schneid. n. 5.*

15. Antequam autem veniamus ad res priuatorum & modos earundem
acquirendi dominium, tam ex iure naturali & gentium, quàm ciuili profi-
ciscentes exponamus; placet vt imitemur Imperatorem, & prius inspiciamus
res quæ dominio nostro exemptæ sunt, quas si rectē cognouerimus, ap-
parebit etiam quæ in dominium veniunt. *arg. §. 2. Inst. de his qui sui vel alien.
iur. sunt.*

16. Aer, mare & littus maris nullius in bonis, sed naturali iure omnibus
non solum rationalibus animalibus, sed indistinctē, quæ sub terra viuunt
communia, perq; naturalem vsum æqualem commoditatem præbent *l. 2. ff.
de rer. diuis. l. 1. ff. de acquir. dom. l. 13. ff. de iniurijs.*

17. Publica sunt vt flumina, ripæ, portus, *§. 3. Inst. de rer. diuis.* & nullius
in bonis. *l. 7. §. 4. ff. de acquir. dom.* in his vnicuilibet, non solum onus quod-
dam imponere, sed ædificia extruere permiffum est, dum tamen hoc fiat si-
ne alterius incommodo. *l. 24. ff. de damn. insect.* ne autem publicæ cum com-
munibus promiscuē ponantur, vt in *d. l. 24. & 14. de acquir. rer. dom.* distin-
guendum inter communes & publicas: & sunt cōmunes, vt aer, aquæ, &
quæ omnibus indistinctē hominibus & bestijs ad vtendum concessæ. *l. 1. ff.
de rer. diuis. & l. sequent. ff. hoc tit.* publicæ verò solis tantum hominibus ad
publicum vsum competunt; vt est piscari, & nauigare. *l. 5. ff. hoc tit.*

18. Sunt & quædam res nec communes, nec publicæ: sed vniuersitatis:
§. vlt. de Empt. & vend. §. 6. Inst. de rer. diuis. Vniuersitatem *Schneid. ad hunc
§. Inst.* definit collectionem plurium hominum vno nomine eis deputato:
vel certæ multitudinis corpus: horum bona etiam appellantur publica,
quia vñibus populi in ciuitate illa habitantis perpetuò sunt exposita. *§. 2.
Inst. de inut. stipul.* quæ etiam alienare in genere non possunt. in *d. §. vlt. l. 6.*

de pign. nec in specie nisi obseruata. *l. fin. C. de vend. rebus ciuitat. lib. 11. tit. 31.* differunt quoq; à communibus, quia illorum vsus non omnibus & singulis gentibus patent, sed tantum illis, qui sub congregatione illa sunt, & singuli nihilominus illis frui possunt. *l. 1. § vniuersitatem. ff. quod cuiuscunq; vniuers. nomine. §. 6. Inst. de rer. diuis.*

19. Res sacræ & Religiosæ planè sunt nullius in bonis. *§. 5. Inst. hoc tit. & vt alicuius fierent, nulla obligatio valet efficere. l. 182. ff. de reg. iur.* nec vt nostræ vindicari possunt. *l. in rem. 23. ff. de rei vend.* neque illas alienare conceditur, vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere. *l. sanctimus. C. de SS. Eccles.* nisi ad pias causas aliquas. *c. semel de reg. iur. in 6.*

20. Et muri & portæ sanctæ dicuntur, quia ne aliquid in illis committatur prohibitum est: illas enim qui violauerit, vel admotis scalis transcendiderit, capite punitur vt ciuitatis hostis apertus. *l. 10. ff. de rer. diuis.* Hæc pœna an legitima sit, multi dubitant: nos tamen propter apertam *l. 8. & 10. ff. de rer. diuis.* Affirmatiuam exosculamur.

21. Recensitis rebus communibus, publicis, & vniuersitatis, iustus ordo postulat, vt dicamus de rebus singulorum, quibus modis ex nostro dominio subijciuntur. Sunt autem desumpti hi modi tam ex iure ciuili, quam naturali & gentium *Myns. in rub. Inst. de rer. diuis.* 12. quare modos accipiendi dominij ex iure naturali & gentium qui veniunt, vt vetustiores. *§. 11. Inst. de rer. diuis.* inspiciemus: vt sunt occupatio, accessio & traditio: Et primò occupationem, cui primus tribuitur locus. *l. 1. ff. de acquir. domin.*

22. Est autem Occupatio triplex: vel animalium rationalium; Et vocatur captiuitas: vel irrationaliū, vt piscatio, venatio, aucupium: vel rerū inanimatarum, vt inuentio. Quia enim vt dictum, nec in aëre, nec aquâ certum dominium constitutum est. *l. 9. ff. de lege Rhod. iact.* sed iure naturali communes relictae *l. 2. & 3. in fin. ff. de acquir. rer. domin.* vnicuique etiam aucupari, venari, & piscari licitum est, & quicquid eorum cœperit suum facit. *§. feræ 12. Inst. de rer. diuis.* ita, vt contra prohibentem iniuriarum agere possimus.

23. Ne tamè aliquis in quasi possessione existens, solus in illo loco potestatem piscandi habeat (quia maris dominium quoq; tempore, cuius initij memoria amplius non existit, præscribi potest. *l. vsum aquæ. C. de aquæ duct. d. l. 13. ff. de iniur.* quæ enim occupare volumus, debent nullius esse. *l. 1. ff. de acquir. dom.* pisces vero in alterius aqua maxime in bonis sunt & propriatis habentur, eodem modo, vt aqua, cuius pars esse dicuntur. *l. 44. ff. de rei vind.*

24. Altera animalium irrationalium occupatio est ferarum bestiarum, & vocatur venatio, quæ nobis dominium acquirit eorum, quæ à nobis capiuntur, quia antea nullius fuerunt. *d. l. 1. ff. de acquir. dom.* & nihil interest vtrum in nostro an in alieno fundo eas ceperimus. *§. 12. Inst. de rer. diuis.* *l. 13. ff. de iniur.* An autem illa legitimè sit concessa, dubitant quidã, propter
cap.

cap. qui Venatoribus dist. 68. vbi ars nequissima vocatur; quia tamen illa iure diuino *Genes. 1. vers. 7. 8. 9.* *Genes. 14. v. 6.* & naturæ, hoc est, iure gentium quod naturali ratione inter omnes homines peræquè obseruatur. §. 1. *Inst. de iur. nat. gent. & ciuil.* atque etiam ciuili, *l. vnica C. de Venat. ferar.* concessa est; concludimus illam esse licitam.

25. An autem hodierno tempore & hoc iure rectè exclusi sint priuati & subditi, multifariæ sunt opiniones, nobis affirmatiuæ vt veriori opinioni astipulari placet. *cap. 1. §. Si quis rusticus. vers. nemo. de pace tenend. in vsib. feud.* quia illud nobiles præscriptione immemoriali roboratum habent, quæ instar priuilegij ius principum munit. *l. 3. §. ductus. ff. de aqua quot.* & vicem legis obtinet. *l. super quibusdam. §. praterea. ff. de V. S. V. Vesenb. in parat. de acquir. dom. num. 7.*

26. Occupationis secunda species est animalium rationalium & vocatur captiuitas, propter hominum enim malitiam bella sunt orta & captiuitates subsequutæ §. 2. *Inst. de iur. nat. gent. & ciuil.* ita vt omnes homines & eorum bona mobilia tamen (quia immobilia fisco applicantur & publicantur. *l. si captiu. 20. §. 1. ff. de capt. & postl. reuers.*) legitimo bello quod necessitatis causam habet, ab hostibus. *l. hostes. 118. ff. de verb. signific. capientibus fiunt. l. 5. §. 7. ff. de acquir. dom. §. Si ab hostibus inst. quib. mod. ius. pat. potest solu. §. 4. Inst. de iur. nat. gent. & ciuil. 36. §. simili modo. C. de donat §. 17. Inst. de rer. diuis.* Ex illegitimo autem bello homines capti liberi permanent, quia capientes hostes non sunt. *l. 24. ff. de captiu. & postl. reuers.*

27. Tertia & vltima occupationis species est rerum inanimatarum, vt gemmarum, lapillorum, thesaurorum, & aliarum, rerum quæ tam in terra quam mari reperiuntur, & vocatur inuentio. §. 18. *Inst. de rer. diuis.* quæ inuentoribus plenum dominium rerum inuentarum (a nemine tamen possessarum) concedit *l. item lapilli. ff. de rer. diuis.*

28. Theſaurus quamuis non sit res nullius in bonis, sed alicuius, qui tamen, quis sit ignoratur, quia vetus depositio est cuius memoria nõ extat, vt iam non habeat dominum, & sic fit eius qui illum inuenit. *l. 3. ff. de acquir. dom.* Multum autem interest in proprio an in alieno fundo inueniatur thesaurus, nam in suis locis vniciue thesaurum querere & inuenio vti libera tribuitur potestas. *l. vnica. C. de thesau.* & illum totum suum facit, in alieno autem fundo data ad hoc opera plane nihil suum facit, cum contra æquitatem sit, præmeditato consilio ex alterius iactura locupletari. *l. 38. ff. de hered. pet.* nulla vero data operâ dimidium suum facit.

29. In Religioso vel sacro loco si reperiretur thesaurus dimidium sua-dente fauore pietatis Deo & Ecclesiæ offeratur. *cap. vnica. in fin. qua sunt regalia in vsibus feudalibus.* Simili modo in fiscali, publico aut ciuitatis loco dimidium inuenitor dare debet fisco aut ciuitati, & dimidiam alteram partem consequitur. *l. 3. §. fisc. ff. de iur. fisc.* Nemo vero arte magica si inuenire intenderet thesaurum lucratur, sed fisco ille tradi & magicus capite priuati

uari debet. *l. nemo. C. de malef. & mathem.* neque si aliquis metus causa vel custodiendi sub terra aliquid condiderit, furtum facit. *l. nunquam. 31. ff. de acquir. dom. Myns. §. thesauros Inst. de rer. diuis. num. 3.*

30. Hic quæri solet, si Vasallus vel Emphyteuta in loco feudali thesaurum inueniret, an suus efficeretur, quod affirmamus: quamuis nullam proprietatem habeat, sed saltem vtile dominium, neque directo domino quicquam restituere debet, imo si directus dominus in fundo vasallo concessio inueniret, tenetur vtli restituere. *gloss. in d. l. vnica. in verb. nam in suis.* dicitur enim thesaurus fortunæ donum. *l. si quis in aliena. 63. ff. de acquir. dom. fortunæ damnum pertinet ad vasallum. l. 1. in fin. C. de iur. emphyt.* ideo commodum. *l. 10. ff. de reg. iur. §. 3. inst. de empt. inst. de legit. patron. tutel.*

31. Cui annectitur, vtrum emptor si emeret fundum vel domum, sciens in muro vel terra reconditam esse pecuniam, illam sibi adjudicare posset, quod *Neg. d. l. nunquam. 31. ff. de acquir.* sed venditori restituendam putamus. *l. 44. de acquir. ff. possess. l. à tutore. 67. ff. de rei vend.* quia animus alienandi non adfuit. *l. 11. ff. de reg. iur.*

32. Secundus modus acquirendi dominium iure naturali per singularitatem est accessio, quæ diuiditur in naturalem & industrialem. Ad naturalem pertinere videntur alluuiò, partus ancillarum, & fætus animalium nostro dominio subiectorum, alueus derelictus à flumine, insula nata in flumine, & alia quæ hic ordine explicamus.

33. Quid autem sit alluuiò, & quomodo per illam adiciatur, apparet ex *l. 7. ff. de acquir. dom.* nempe accessio vel incrementum, quod ita paulatim adicitur, vt minutissimas illas particulas ab vna specie additas, & ab altera desumptas propter visus nostri imbecillitatem vix intelligere possimus, & quo momento temporis adiectæ sint, ignoremus. Quare si plenarius dominus ille est, cuius agro per alluuiònem aliquid accrescit. Fit etiam dominus, sin minus, habet saltem vsum fructum. *l. item. si fundus. §. hunc in cuius ff. de vsufr. l. cum principalis. ff. de reg. iur.* & partem illi cuius totum accedere notum est. *l. 3. ff. de rei vendic.*

34. Secunda naturalis accessionis species est fructus ancillarum & foetus animalium nostro dominio expositorum, qui iure naturali nostri fiunt. *l. 2. §. 1. ff. de acquir. dom.* qui enim ex ventre mihi subiecto nascitur meus est. *§. 4. inst. de iure pers. l. 5. §. 2. ff. de rei vend. arg. l. 3. de pet. leg.* vsufructarius autem nihil planè iuris habet in partu ancillæ, sed restitui domino proprietatis debet. *l. 7. ff. de vsufr.*

35. Tertia est alueus à flumine derelictus: qui multifariè accipitur; hic tamen pro fossa per quam aqua fluit. *Myns. & Schneid. §. 2. Inst. de rer. diuis.* qui tamen prius non fit quam postquam deferuit aquam, sed manet tam diu, vt flumen ipsum publicum & in nullius potestate, sed flumini inseruit *l. 7. §. insula. ff. de acquir. dom.* postquam autem flumen reliquit, & ad aliam partem fluere cœpit, eorum fit qui prope ripam, prædia possident. *l. 30. ff. de acquir. dom.*

36. Ultima est, si insula in mari vel flumine nascatur: in mari quamuis perraro fit. §. 18. *Inst. h. t.* propter tempestuosum nimis fluxum & refluxum & profunditatem maris, tamen si ita contingat occupanti naturali ratione conceditur, quia nullius vt & ipsum mare est *d. l. adeo. §. insula. ff. de acquir. dom. l. 67. ff. de rei vendic.* conceditur autem non quoad iurisdictionem & imperium, sed saltem ad dominium, quia illa manet apud dominum superioritatem habentem in proximiori continenti. *Arg. in l. decernimus. 16. C. de SS. Eccles.* In flumine autem insula persæpè fieri potest, duobus autem modis dominium acquirit illis, qui prædia propè ripam possident ab utraque parte fluminis: nimirum cum flumen locum qui alueus erat siccum reliquerit & circumfluere cœperit: Secundò si paulatim colluendo locum eminentem fecit supra alueum, & cum alluendo auxit. *l. 30. ff. de acquir. dom.*

37. Auditis modis quibus iure gentium dominium per accessionem naturalem acquiritur, sequuntur industriales, quorum primus est specificatio. Si videlicet aliquis nouam speciem ex materia ad se non pertinenti bona fide fecerit. *l. 7. §. Si quis ex aliena. ff. de acquir. dom.* quia illa species antea nullius imo plane non fuit. *l. 9. §. si quis. ff. ad exhibend.* dixi bona fide, nam qui mala fide fecerit sciens materiam ad se non pertinere, nullo modo dominus fit: promanat enim ille acquirendi modus ex iure naturali, quod patitur malam fidem, & tunc locum habet *l. 49. ff. de rei vend.* & iure quidem amittit tam speciem quam suam adhibitam operam. *l. plane. 38. ff. de hered. pet. l. domum. 5. C. de rei vend.* quia nemo ex suo delicto lucrum sperare debet. *l. si duo. 5. §. si duo. ff. si quis cautionib.* quamuis etiam accessorium præstantius sit ipso principali. *l. 34. ff. de contrahend. empt. l. 19. §. 9. de aur. & arg. leg.* si modo species redigi non potest ad pristinam formam. §. 25. *Inst. de rer. diuis.*

38. Fuit veteri iure alius acquirendi modus accessionis industrialis, si quis videlicet in vna charta aliquid scriberet, etiamsi aureis literis ego fiebam dominus, hac ratione, quia scripta vt accessorium suo principali & fundamento quo sustententur cedere putabant *l. 3. §. interdum. ff. ad exhib. l. 27. ff. de rei vend.* vt superimposita inferioribus *l. 9. §. 1. ff. de acquir. dom.* quæ quamuis olim obtinuerunt, quia aquid antiquos in maiori pretio charta, hodie tamen ex vsu recessisse affirmamus, & scripturam ad se per suam præualentiam trahere chartam vt minus valentem *d. l. in rem. §. 4. ff. de rei vend.* eadem ratio est in pictura quæ simili modo tabulam vt minus pretiosorem atrahit. §. 34. *Inst. de rer. diuis.* modo si superposita sit rei mobili, alias pictura tabulæ cedit. *glöß. in verb. tab.*

39. Tertius modus est commixtio & confusio, veluti si alicuius frumentum mixtum fuerit cum alterius consentientibus tamen dominis, tunc indiuia commune fit quod mixtum est *l. Pomponius ff. de rei vend.* Sed quia duo vnus rei in solidum domini simul esse non possunt. *l. 3. §. 7. de acquir. poss. da-*
tur alteri contra possidentem actio communi diuidundo. *d. l. 5.* Casus au-

te

rem fortuitus in commixtione nihil operatur, sed datur singulis actio in rem ad persequendum id quod sibi interest. *d. l. Pomponius.*

40. Confusione acquiritur dominium, quando materia vna cum alia voluntate illorum quorum interest confunditur & certa species fit, propter quam totum corpus fit commune. *l. adeo. §. 4. ff. de acquir. dom.* Si vero vnus tantum altero non consentiente illam fecerit solus efficitur dominus. *§. cum ex alien. Inst. de rer. diuis.* in commixtione quamuis casus nihil operetur, hic tamen secus & res fit communis, quia neutri imputandum & datur eadem actio vt in commixtione, sin autem materie separari iterum possunt contrarium obtinet *l. 5. §. plumbum. ff. de rei vend. l. lacus. §. vlt. ff. de acquir. dom.* distinguendum tamen inter commixtionem & confusionem. Nam si materia cum alia confunditur, forma perit, & noua fit species: commixtio autem nouam speciem non parit, sed priorem retinet. *Myns. §. si frumentum. n. 2. & Schneid. eodem.* in iure tamen aliquando vnum pro alio ponitur. *l. 5. ff. de rei vendic.*

41. Quartus est plantatio, cum aliquis suam arborem vel plantam posuerit in meo fundo, mea fit, & econtra: fit enim eius cuius & solum est. *§. 31. Inst. h. t.* hac tamen limitatione vt arbor vel planta tam diu apud priorem dominum maneat donec egerit radices in alterius fundum *d. l. adeo. §. si in alienum. l. qua ratione. 9. ff. de acquir. dom.* quando vero radices egit, tunc dominus vtilem actionem habet ad persequendam plantam. *l. 5. §. 3. ff. de rei vendic.* videtur enim hic militare maior ratio quam in pictura, quia arbores non tantum propter quod solo insunt dominium mutant, sed quia à terra vitam sustentant & aluntur. *d. l. adeo. §. vlt. & l. 8. vlt. ff. arborum surtim cas.* prope confinium autem arbor posita, si in vicini fundum radices egerit communis est, & fructus ex æquo partiri debent, dicta *l. adeo. §. vlt. ff. de acquir. rer. dom.*

42. Quintus modus, est ædificatio in alieno solo, acquirens dominium iure naturali per accessionem industrialem. omne enim quod solo inædificatur, solo etiam cedit. *§. 29. Inst. h. t. l. adeo §. cum in suo. ff. de acquir. dom.* vt pars suo toti, superficies solo siue fundamento. *l. 50. ad l. Aquil. l. 2. C. de rei vendic.* suum autem solum dicitur, si quis proprietatem habet, quamuis v-fusus fructus alienus sit, *l. 25. ff. de verb. signif.* & si sciens ædificauerit postmodum diruto ædificio materiam vindicare non potest. *l. siu contra quem 5. C. de adific. priuat.* si bona fide manet dominus & per exceptionem doli mali æstimationem petere potest, *l. 1. & 2. §. generaliter. ff. de dol. mal. except.* nam locupletari non oportet alterius iactura. *l. 24. ff. de condict. indeb. l. 38. ff. de hered. petir.* hic quæri solet an omnes indistincte impensas tam in extruendo quam exornando ædificio petere vel retinere possit? ad quod explanandū distinguere oportet inter impensas necessarias, vtilis & voluptuarias, & deinde inter bonæ & malæ fidei possessorem.

43. Necessariæ impensæ sunt quæ necessario debent impendi, & nisi impen-

pendantur res aut peritura, aut deterior futura sit. *l. 79. ff. de verb. signif.* Si igitur aliquis domum labentem & ruinam minitantem fulcit, necessarias impensas fecisse dicitur. Vtiles sunt, quas utiliter quis impendit, & rem meliorem facit. *l. 5. §. vlt. ff. de impens. vel vt Mysf.* quæ quidem rem meliorant, tamen quod fiant, non est necessarium. *S. 31. nu. 3. Inst. de rer. diuis.* Voluptuaria, quæ delectationis causa, speciem duntaxat ornant, sed fructus nõ augent, vt sunt viridaria, aquæ salientes, incrustationes, pictura, loricationes *d. l. 79. de V. S. & 5. de impens. & 39. ff. de hered. perit.*

44. Ad necessarias quod attinet, quilibet illas bonæ fidei possessor deducere potest. quia nulla inuidia est, illud, quod in nostram necessariam utilitatem impensum est iterum deduci. *d. l. 14. ff. de condic. indeb. l. si necessarias. 8. de pignorat. actio.* malæ autem fidei possessor, quamuis illi imputari possit, quod sciens in alienam rem impensas fecerit, benignius tamen est in huius quoque persona haberi rationem impensarum, illas ideo etiam deducit *l. 39. ff. de hered. per. Treut. volum. 2. d. sp. 20. thes. 6. lit. B.*

45. Vtiles impensas bonæ fidei possessor simili modo deducit, si modo dominus in bonis tantum habeat vt soluere possit, si vero tam pauper vt rem cogere vendere, & postea ipse egeret, sufficiat sibi permitti tollere quæ potest, *Mysf. in §. 29. Inst. h. r.* modo ne fundus deterior fiat quam si initio non foret ædificatum *l. 38. ff. de rei vindicat.* militat hic eadem ratio vt in *l. 14. ff. de condic. indeb.* malæ fidei possessor eatenus aufert, quatenus auferrè possunt. Si vero de nouo ædificium aliquod superstruitur, sed nihil consequitur, sed obijcitur ei culpa, quòd scienter in alieno fundo ædificauerit. *l. adeo. §. ex diuerso ff. de acquir. dom.*

46. Nec voluptuarias, vt pictura & viridaria, dominus sibi reseruare potest, verum si vellet, exceptione doli malè repelleretur. *d. l. 2. §. generaliter ff. de dol. except.* Sed bonæ fidei possessor eas tollit, si recipiant separationem, sin minus relinquendæ sunt. *Mysf. num. 8.* Malæ vero fidei possessor omnind illas perdit, vt rectè illi dicitur non debuisse illum in rem alienam superuacaneas facere impensas, tamen relicta potestate tollendi eas, quæ impensa sunt in rem, naturà separabili salua remanente.

47. Sextus industrialis accessiois modus est, perceptio fructuum ex re aliena quam bona fide possidemus, quæ veritati comparatur *l. 58. ff. de reg. iur.* & quia iusta causa vt possessio præcessit quæ non sine effectu esse, sed aliquid operari debet. *l. 20. ff. de acquir. dom.* Sed ne ignoremus an indistinctè omnes fructus bonæ fidei possessor lucretur, oportet vt distinctio nobis prius sit cognita inter naturales & industriales.

48. Naturales sunt qui ex corpore rei sine vllo facto hominis à sola natura proueniunt. *l. fructus, 45. de vsuris.* vt pomum, pira, nuces, lac, pilus, lana, vituli equili, fuculi. *l. 28. ff. eodem.* & hi vel sunt pendentes, qui terra adhuc continentur, aut solo cohærent, *l. 12. §. Iulianus ff. de vsufr. & extantes qui à terra ex qua prouenerunt, separati sunt. l. 78. ff. de rei vend. l. 13. ff. quib.*

B

mod.

mod. vsufr. perceptorum sunt, vel consumpti, vel extantes, qui consumptis opponuntur. *l. 3. C. de condit. ex leg. l. Certum. C. de rei vend.* Industriales quas non natura sola produxit sine hominis opera, sed in quibus plurimum facit hominum industria, opus etiam habent cura & cultura, vt est frumentum & vinum, quæ non nascuntur nisi adhibita cultura.

49. Ad industriales quod attinet communi calculo concluditur, bonæ fidei possessorem suos facere; quia eius factio & cultura prouenerunt, & naturalis ratio etiam hoc suadet. De naturalibus inter Doctores non est vilis disputatio, & multi negatiuam tenent, nos tamen cum plurimis decidimus bonæ fidei possessorem, qui rem alienam esse ignorauit. *l. 109. ff. de V. S. absolute & plenè tam naturales quam industriales suos facere. §. Si quis à non domino. Inst. de rer. diuis. l. 4. §. lana. ff. de vsucap. l. bona fidei. 48. ff. de acquir. dom. l. in pecudum. 28. l. qui scit. §. 1. ff. de vsuris. l. 4. §. post litem. ff. fin. regund. modo tamen sint consumpti, pendentes enim nullo modo suos facit. l. 14. ff. de rei vend. VVesenb. in §. si quis à non domino. num. 10. Sed quemadmodum bonæ fidei possessor omnes cuiuscunque generis, consumptos lucratur, ita malæ fidei possessor restituere tenetur, tam industriales quam naturales, extantes & consumptos, perceptos & percipiendos. *l. 33. ff. de rei vend. l. 40. ff. de hered. pet.**

50. Explicitis duobus modis acquirendi dominium iure gentium, vt occupatio & accessio, sequitur tertius qui est traditio. *l. traditionib. C. de pact. ad quam ne infirma sit, obseruari debent necessaria requisita. Primum vt dominus ille sit huius rei quam tradit, & transferendæ potestatem habeat, si non, ad accipientem nihil transfert nudis traditionibus. l. 20. ff. de acquir. dom. l. nemo. ff. de reg. iur. vel vt sit domini loco. l. 7. §. 3. ff. pro emptore, & iure alienare non prohibentur, vt tutores & curat. l. 16. C. de administ. tutor. l. 8. §. 1. de reb. eor. & hoc est primum requisitum, nempe habitus personæ; Nam aliquando euenit, vt quamuis aliquis sit dominus, tamen alienare nõ possit, & contra ille qui non est, possit. *tot. tit. Inst. Quib. alienare lic. vel non.**

51. Maritus enim, quamquam dotis dominus est, & vxor domina. *l. in reb. C. de iure dot.* dos enim est proprium vxoris patrimonium, & rei vindicationem, quæ nemini nisi domino competit. *l. in rem. 23. ff. de rei vind. aduersus omnes possessores habet, authent. permissa. C. de donat. ante nupt. neuter tamen illorum alienare potest aut obligare. §. 1. Inst. quib. alien. lic. vel non. l. vnica. §. & cum lex. 15. de rei vxor. action. l. 4. & tot. tit. ff. de fund. dotal. imò de iure ciuili etiam si consentiret vxor, tamen prohibetur maritus alienare, quamuis etiam iurasset sua voluntate alienationem fieri. *l. non dubium. 5. C. de leg. & e contra creditor cui pignus creditum est, etiam si nullum dominium habet, quia hoc apud oppignoratorem manet. l. rescriptum. 12. ff. de distract. pignor. tamen in alium transferre potest. d. §. 1. Inst. quibus alien. lic. vel non. l. iubemus. 14. C. de SS. Eccles. l. vlt. C. de reb. alien.**

52. Secundò ad traditionem & dominij translationem voluntas & animus

mus alienandi requiritur, qui si adest nihil tã conueniens est naturali æquiritati quam illam ratihaberi. §. 40. *Inst. h. t.* fin non, quamquam tradat, dominium non transfert, sed saltem commodat, breuique forsan receptorum se sperat, tunc nulla est traditio, sed potius error, qui tradenti dominium non aufert. *l. 35. ff. de acquir. dom.* quia voluntas non tantum spectatur in accipiente sed in dante. *l. 19 §. non potest nolenti. ff. de donation.*

53. Tertiò, vt iusta subsit causa, & res possit tradi; nam si aliquid traditur ex alia causa & ex alia recipitur, haud transfertur dominium. *l. vlt. ff. si cert. pet.* quia id saltem eo casu procedit, quo res consultò & non per errorem data est. *l. 54. ff. de reg. iur.* res autem omnes tradi possunt, quæ dominio nostro subiectæ & corporales sunt. Res autem sacras & religiosas & cæteras commercio exemptas si tradimus, nihil agitur. *d. l. nemo. ff. de reg. iur.* nec incorporeales, quia tangi non possunt. §. 1. *Inst. de reb. corporal. & incorporal.* vltimò requiritur vacua possessio, de qua inferius dicemus. Et nuda voluntate, id est ficta traditione aliquando dominiũ transfertur, veluti si rem commodatam postea aliquis donauerit, quamuis ex illa causa primum non tradiderit, quia tamen patitur tuam esse, statim tua plenariè fit. §. 43. *Inst. hoc tit.*

54. Enarratis modis quibus per singularitatem iure gentium nobis acquiritur, inspiciendum est, quomodo iure ciuili nobis acquiritur. hoc autem fit his modis: Vfusucapione, Præscriptione, Donatione & Legato. Et primum de Vfusucapione.

55. Definitur illa quod sit adiectio per continuationem possessionis temporis lege definiti *l. 3. ff. h. t.* cuius effectus apparet ex ipsa definitione, & *l. 20. C. de pæcis.* Præscriptio, est exceptio temporis lege definiti. *l. penult. & vlt. C. de except. l. 11. ff. eodem.* intra quod si res non repetatur, verus dominus amittit dominium. Præscriptio strictè, est rerum immobilium vsucapio, largè tamen vsucapio accepta comprehendit res corporales. *secund. gloss. l. 3. ff. h. t.* ad quam incipiendam & complendam quinque requiruntur.

56. Primò, bona fides, quod credat illum à quo rem habet dominum fuisse, vel ius alienandi habuisse, §. 1. *Inst. h. t.* & superueniens mala fides inchoatæ vsucapioni non nocet. *l. vnic. C. de vsucap. transf.* Secundò, iustus titulus & ad transferendum dominium sufficiens, qui factum tuetur & veritatem inducit. vt sunt modi acquirendi iuris ciuilis & naturalis. *Myos. in rub. h. t. num. 13.* Tertiò, iusta possessionis traditio, vt est vacua possessio, quæ tunc probatur, cum nullus nec corpore nec animo possidet. *l. 3. ff. de acquir. possess.* Quartò vt fit res non exempta vsucapione, vt liber homo, res sanctæ & furtiua. §. *furtiua. ff. h. t.* Quintò, possessio continua quæ nunquã interrupta est. *l. 3. ff. h. t.* idem est vt ipse continuet vel hæres eius. §. 7. *Inst. h. t.* Sextò tempus à lege ad vsucapionem & præscriptionem constitutum. *l. 3. ff. h. t.* quod, quia non omnium rerum vniforme est, videamus species.

61. Primò est triennalis, quâ præscribimus omnes res mobiles. *in princ. Inst. h. t. d. l. vnica. de vsucap. transf.* Secundò decennalis & vicennalis illâ res immobiles inter præsentès, hæc inter absentes possessæ præscribuntur. *l. 2. C. de long. temp. præscript.* Tertio, longissimi temporis præscriptio, vt 30. vel 40. annorum, quæ possessoribus rerum vitiosarum patrocinatur. *l. 1. §. adhec. C. de annali præscript. l. 3. & 4. C. de præscript. trig. & quadrag. annorum.* Quarto, præscriptio centum annorum, qua gaudet sola Ecclesia. *aut bent. quas actiones C. de SS. Eccles.* Vltima est immemorialis præscriptio, cuius initij memoria non extat, quæ privilegio æquiparatur. *cap. super quibusdam. 46. §. præterea. ext. de verb. signif.* quare autem introducta sit, quæ- runt aliqui, nos ob bonum publicum affirmamus.

62. Secundus modus acquirendi iure ciuili est donatio, quæ triplex: vel inter viuos, vel mortis causâ, & propter nuptias. Prima ex mera liberalitate & munificentiâ fit, nullo cogente iure. *l. 1. ff. h. t. & hæc non reuocatur. l. 35. ff. de donationib. mortis causa.* donatio mortis causâ, est etiam quædam liberalitas, in qua tamen donans liberatus à periculo mortis propter quod donat, mavult se habere quam eum cui donat. *l. 1. ff. h. t. & reuocari potest. d. l. 35. ff. h. t.* Tertio, donatio olim nominabatur donatio ante nuptias. *§. 3. Inst. h. t.* sed hodie propter nuptias quarum gratia fit, nominatur, sine quibus existere non potest. *arg. l. 3. ff. de iure dotium.* est enim dotis quasi compensatio. *l. cum multa. C. de donat. ante nupt.*

59. Donationis species est legarum, quod definitur donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda. *l. 36. ff. de leg. 2* quæ quamuis olim sine testamento relinqui non poterant, hodie tamen secus, *§. 3. Inst. h. t. l. 1. ff. de legat. 1.* quod procedit hoc modo si dixit legator, huic do, lego, *§. 8. Inst. h. t.* nec interest an legauerit propriam rem an alienam, modo sciuerit & legari potuerit. *§. 4. h. t.* differt tamen à cæteris donationibus. *l. 3. §. fin. ff. de adimend. legat.* & sic acquirendi dominij modos, iure naturali gentium & ciuili per singularitatem supremis quasi labris attingisse sufficiat,

C O R O L L A R I A.

I. An Princeps ob publicam vtilitatem res priuatorum auferre possit? Affirm.


II. An Dominus territorij teneatur de prædato refarcire rapinam in territorio suo commissam? cum l. Affirm.


F I N I S.

X 2874408

94 A 7386

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

VRIDICA,
RVM
ET EA.
 O DOMINIO,
 de Iure ciuili per sin-
 est materia Im-
 ctuum.

Gratiã.

vs
 is Viris, ac DD.
 o, I. V. Doctore, &
 SS. LL. Licentiato,
 e & Fisico.
 inensis Academia, Iuri-
 blicè proponit
 menthal/Nob. March.
 p. die 22. Martij.

PPINÆ,
 rope Augustinianos.

